

STRVMICO VANDALORVM REX.



Strumico magnæ fortitudinis heros à Vandis Germanis rex constitutus fuit, eo ferè tempore quo Christus homo natus est. Is fortí animo Septentrionalis maris accolás bello petiit, atq; magna præda acquisita uictor domum rediit. Itaque Frotho Danorum rex, finitimiis regibus sibi foede re iunctis, hostibus occurrere, atq; illatam suis cladem armis uindicare statuit. Hūc belli apparatum cum Strumico intellexisset, per legatos pacem petit. Cum autem pacis conditiones iniquiores uideretur, Strumico quoq; se ad bellum accinxit. Itaq; per continentem Holsatię exercitus conuenerē. Concurritur ibi quantis maximè uiribus potuit, atq; diu acre prælium fuit. Volitabat per aliquot horas incerta uictoria, ita ut Mars nūc his, modò illis sauere uideretur. Tandem uero Strumico à hoste non fortitudine, sed multitudine superatus fuit. Nam is in medio hostium fortiter pugnans, circumuentus & occisus est. Sic Vādalia iterum Danis cef sit. hinc factum ut Danorum reges se quoq; Vandalorum principes ab ea uictoria nominent: licet multis retrò seculis Vandali se in libertatem uindicarint, id quod suo loco declarabitur.

Alb. Crantz.lib.1. Vandal.cap.9.